

Rursus Justinianus in civilibus causis patise professus est, si volentes coram Episcopo actor, & reus controversiam dirimendam exponant, l. 29. §. 4. cod. eod. tit. Similes constitutiones referuntur apud Innocentium III. in cap. 13. de judiciis, & apud Gregorium Magnum in can. 38. caus. 11. quæst. 1. Item Justinianus in Nov. 83. protraxit ad clericos, quod de Monachis, & Sanctimonialibus sanxerat in Nov. 79., eo adjecto, ut *ex non scripto* iudicium fieret, imò & acciperet *formam forsàn etiam scriptam*, & *si hoc quoque partes voluerint, & poposcerint, rùm demùm verò coram civili iudice negotium terminaretur*, quoties decidi ab Episcopo, aut propter causæ naturam, aut propter gravem difficultatem minimè potuisset. De *amicabili conventu* Episcoporum, & iudicium mentio etiam fit in Nov. 86. cap. 2. Denique Justinianus idem in cap. 121. Novellæ 123. non primùm conveniendos voluit clericos, quemadmodum & Monachos, & Sanctimonialia apud civilem iudicem, quam si Episcopus adiretur, quo iudicante loci iudex sententiam exequeretur, si utraque pars iudicatis adquiserit; aliàs, non adquiscente alterutra parte, ordinaria fieret pœnès iudicem publicum iudicii forma.

Neque verò canonum auctores aliter suam sententiam olim explicaverunt. Uti enim publicis pœnitentibus, qui in templo mērebant, suadebatur, ut quæ litigia habuissent, Episcoporum arbitriò dirimenda proponerent, ne fortè aliàs devotionem animi iurgiorum forensium occasione labefactarent, can. 34. caus. 11. quæst. 1., ita clericis universis idipsum facillè proponebant, proptereaquod clericorum vita mitis esse deberet, & ab omni contentione aliena. Non memoro canones 1. 3. 7. 8. 9. 10. 14. 18. 29. 30. 31. 32. 33. caus. 11. quæst. 1., sunt enim universi ex Mercatoris penudeptompti: neque memoro canonem 4. eadem causa, & quæstione, utpotè qui falso tributos fuerit Nicæno Concilio, & po-

tius referendus sit ad epistolam Julio Papæ adscriptam à Mercatore. Neque ad hanc rem pertinet canon 26. ibidem, in quo cum laudatur canon Nicæni Concilii, species eadem ponenda est, quam tractabat Nicænum Concilium in can. 73. caus. 11. quæst. 3., nimirum ut intelligatur, reservari iudicio Episcoporum causas illas, in quibus de excommunicatione ageretur. Memorabo potius Africana Concilia, quorum extant monumenta in dicta quæst. 1. can. 42., 43. & 44. Canon 42. sive Milevitani Concilii sit, sive veriùs Toletani, graviter monet Clericos, ne Conclericos suos ad iudices publicos trahant, sed coram Episcopo curent finiri litem. Idipsum canones 43. & 44. Carthaginensis Concilii statuerunt. Memorabo itidem canonem 46. ibidem, sive capitulum 1. de foro compet., quod est Concilii Calcedonensis, & quod adhuc clariùs, aut Bevergius in suis canonum Pandectis, aut Josephus Ægyptiacus in sua Paraphrasi Arabica expressit, ut ex eo eruatur, sublatam fuisse clericis quamcumque inter se iurgandi occasionem. Memorabo insuper canonem 17. & 47. ibidem, qui est Concilii Agathensis, dummodò in eo agnoscatur gravissimum Gratiani mendum, qui aliter canonem descripsit, quam in Concilio legeretur; uti liquet ex collatione Gratiani monumenti cum canone ipso Concilii. Ita scripserat Gratianus: *Clericum nullus præsumat apud secularem iudicem Episcopo non permittente pulsare; sed si pulsatus fuerit, non respondeat, nec proponat; nec audeat criminale negotium in iudicio seculari proponere.* Ita verò edixerant Agathenses Antistites: *Clericus ne quemquam præsumat apud secularem iudicem Episcopo non permittente pulsare: sed si pulsatus fuerit, respondeat, non proponat, nec audeat criminale negotium in iudicio seculari proponere &c.* Perspicuè item idipsum deducitur ex can. 6. ejusdem quæstionis Concilii Matrisconensis, & ex can. 2., seu ex cap. 2. de furo compet., quod est Concilii Parisiensis anni 615., confirmatum deinde

à Carolo Magno in Capitulari anni 769., siquidem & Carolus Magnus veterem Theodosii Imperatoris laudatam legem innovavit. can. 37., juncto can. 35. dicta caus. 11. quæst. 1. Ex Pontificibus Maximis laudare possum Gregorium Magnum in can. 39. 40. & 31. maximè sollicitum, ut Clerici, vel Clericos convenientes honorem Episcopo deferant. Consultò omitto canones 12. & 13. proptereaquod canones isti, licet Gelasii nomen inscriptum præferant, ab eruditissimis tamen à Gelasio abjudicentur. Possent tamen adduci canones 15. & 16. dummodò Pelagio non primo, sed secundo adscribantur, qui vixit post editas Justiniani Novellas, & eo tempore, quo de-

fensores bonorum Ecclesiasticorum Imperiali accedente auctoritate constituti fuerant ad tutanda bona ecclesiarum, quorum officium jampridem postulaverant Carthaginenses Antistites, can. 10. caus. 23. quæst. 3. Addere his omnibus possum, electo ab omnibus ex consensu Episcopali arbitrio, atque huic acquiescentibus collitigantibus, sublatis fuisse omnes litium ambages, quibus appellationis longæ occasionem præbebant, l. 35. ff. de appellation., cap. 14. de sentent., & re iudic., & hoc est quod agebat Justinianus in Nov. 123. cap. 21., sententiam Episcopi abs iudice confirmatam, nulli amplius appellationi subesse.

## CAPUT V.

## De auctoritate Episcoporum in Monachos, aliosve Regulares.

Huc referendi sunt tit. 31. 35. & 36. libri 3.

Sive ad ea tempora respiciamus, quibus Monachi nullis Ecclesiasticis ordinibus plerumque initiabantur, quò pertinent canones 1. 2. 4. 5. 6. 8. 11. 19. caus. 16. quæst. 1., sive ad ea, quibus Monachi etiam Sacerdotio insigniri cœperunt, quò pertinent canones 3. 9. 21. 22. 23. 24. 26. 27. 28. 29. 30. & 31. ead. caus. & quæst., certum est, per plura sæcula eosdem Episcoporum, in quorum Diæcesibus degebant, jurisdictioni fuisse subiectos, can. 12. caus. 16. quæst. 1. can. 1. 2. 8. 10. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 19. 28. 29. caus. 18. quæst. 2., l. 40. Cod. de Episc. & Cler., l. 6. cod. de Episc. audient., Nov. 123. cap. 34. & 36. Et quidem ubi ad ecclesiasticos ordines, seu ad sacra ministeria promoti fuere Monachi, uti per Episcopos diæcesanos ordinabantur, ita in sacris ministeriis exequendis ab eisdem Diæcesanis pendebant, eodem jure, quo om-

nis sacrorum cura ad Episcopum unumquemque spectabat, can. 10. caus. 16. quæst. 7. can. 6. & 7. caus. 16. quæst. 2. Ubi verò Monachi ecclesiasticis ordinibus non initiarentur, eodem jure Episcopis & ipsi, & Monasteria suberant, quò priorum quorumcumque operum, & religiosarum personarum moderatio Episcoporum vigilantia commissa etiam ab antiquissimis sæculis deprehenditur, argumento legis 28. 35. 46. Cod. de Episc. & Cleric., Nov. 123. cap. 23., cap. 3. de religios. domib. Quamquam enim singulis Monasteriis præfecti Abbates essent, quorum officio commendaretur & Monachorum vita, & regimen Monasteriorum, ipsi tamen Episcopis obtemperabant, & rationem administrationis redderant, dicta l. 40. cod. de Episc. & Cleric., eadem ferè ratione, qua in Cathedralibus Ecclesiis quum vita communis inter clericos institui cœpit, constituti fuerunt

runt Canonicorum Præpositi, quibus sine diminutione Episcopaliurum iurium omnes clerici suberant; quæ similitudo non solum rem propositam illustrat, verum etiam probat, quando scimus, Clericos in communi viventes imitari consuevisse mores institutionesque Monachorum. Primus Gregorius Magnus, qui in adolescentia monasticam vitam professus est, Episcoporum jurisdictionem in Monasteria amplissimam aliquantisper coercere cepit, non quidem illa ab eadem eximens, sed tantum cavens, ne Episcopi potestatem suam ita exercerent, ut solitariam Monachorum vitam turbarent. Siquidem cum nonnulli Episcopi frequens ad Monasteria ut plurimum extra urbes, & in sylvis sita accederent, sacra ibidem celebraturi non sine magno cleri, & populi conventu, unde Monachi à quietâ oratione distrahebantur, salubriter constituit, ne sacra solemnia per Episcopos apud Monachos celebrarentur, can. 3. 5. 6. caus. 18. quæst. 2. Id usque ad sæculum nonum sine discrimine observatum scimus; recentiore tamen ætate factum est, ut Monachi à potestate Episcoporum eximerentur, & immediate subjicerentur Apostolicæ Sedi, non quidem jure communi, sed primum singularibus foundationum tabulis, aut peculiaribus privilegiis obtentis, aut etiam iis deficientibus non omittebant Monachi, vel præscriptione, vel consuetudine adversus Ecclesiarum Antistites se tueri, sive ut in totum sibi libertatem adsererent, sive ut à quibusdam Episcopalibus juribus se exemptos clamarent, unde distinctio illa processit legis diœcesanæ, & legis jurisdictionis, veteribus canonibus prorsus ignota, de qua superius actum est in prima Dissertatione, cap. 16. 17. 18. de offic. judic. ordin., cap. 15. 16. 18. de præscription. cap. 6. 7. 8. de relig. domib., cap. 3. de privilegiis; utinam nunquam privilegia ementiti fuissent falsis scripturis, & de industria confectis, aut corruptis, quemadmodum ita ementitos deprehendit Innocentius III. in

cap. 6. de fide instrumentorum, & plures alias ementitos adnotat Juretus in observationibus in epistolas Ivonis Carnotensis. Cæterum temporibus Gregorii IX. nondum generalis fuerat exemptio Monachorum, & Monasteriorum ab Episcopali potestate, cap. 7. 17. de offic. jud. ordin., cap. 9. de major. & obed., cap. 15. 16. 18. de præscription., cap. 7. 8. de statu Monach., cap. 6. 7. 8. de relig. domib., cap. 4. de Cappellis Monach., cap. 43. de simonia, cap. 16. de excess. Prælat., cap. 19. de privileg., cap. 1. de supplen. neglig. Prælat. & alibi passim, imò & duodecimo, & decimotercio sæculo nonnulli sancti Monachi, & Monachorum Institutores has exemptiones sensim gliscentes, & conatus Monachorum ad easdem obtinendas minime probaverunt; inter cæteros S. Bernardus in libris de consideratione ad Eugenium Papam. Paulatim eò res devenit, ut generalia privilegia exemptionum obtinerentur, ex quibus vix quædam potestatis species in Episcopis hodie superesse videtur, qui vel ordinaria, vel delegata jurisdictione utuntur, præsertim post plures Tridentini Concilii constitutiones, quibus curatum est, ut, quoad fieri posset, Episcopis sua restitueretur auctoritas in iis saltem casibus, in quibus optima Ecclesiarum administratio, & monasteriorum, ipsorum etiam Monachorum utilitas postulabat. Regula generalis in hac re constitui potest, etiam hodie nec Monasteria, nec Monachos exemptos dici ab Episcoporum jurisdictione, nisi in quibus jus singulare, scilicet privilegia, consuetudines, præscriptiones, ac legitimas foundationum tabulas allegent, ac probent; ita ut eadem singularia jura strictam interpretationem patiantur; quæ ratio fuit, cur Innocentius III. in cap. 17. de privil., etiam post probatam Monasterii exemptionem definiiverit, adhuc Cappellas à Monasterio pendentes non ideo exemptas intelligi. Deinde altera regula subjicitur, in iis, quæ contra privilegia Monachorum, aut Monasteriorum

re-

recentioribus constitutionibus edita sunt, præsertim in Concilio Tridentino, eam capiendam esse interpretationem, quæ facile Episcopis faveat, ob facilem uniuscujusque rei ad sua principia regressum.

Ut hæc ritè, & ordinatè expendamus, quinque distinguenda sunt. Primum est generalis Regularum Monasticarum institutio. Secundum Monasteriorum erectio, & Monachorum in erecta Monasteria inductio. Tertium bonorum Monasterii administratio. Quartum cura Monachorum vitæ ac morum. Postremum sacra officia vel in privatis Monachorum Otoriiis, vel in publicis Monasteriorum Ecclesiis, ad quæ etiam populi conventus admittitur, obeunda.

Quod ad primum attinet, olim nullæ erant Regule generales aut Monasterii, aut Monachis præstitutæ, sed universa in Præpositi, sive Abbatis arbitrium conferebantur; uti enim scribit Augustinus in lib. 1. de moribus Ecclesiæ cap. 31., vita Monastica instituebatur magna in jubendo auctoritate eorum, qui Monasteriis præerant, & magna Monachorum subjectorum in obtemperando voluntate. Quamobrem Lucas Holstenius, ubi codicem veterum Regularum Monasticarum edidit, in cap. 3. prærationis rectè adnotavit, illas propriè generales Regulas dici non posse, sed singularia quædam præcepta singulis Monachis data, ad quæ iidem vitæ suæ rationem exigerent, quamquam ea ipsa præcepta Monachi deinde scriptis servarent, mutuoque inter se conversando, confabulandoque communicarent, quasi sequendæ Regulæ loco; eandemque ob rem eruditorum nemo miratur, cum legit apud Gregorium Turonensem lib. 10. historiarum cap. 29., in uno eodemque Monasterio modò unam, modò alteram Regulam fuisse pro Monachorum lubitu servatam, modò plures unà, & semel propositas, quas pro arbitrio Monachi sequerentur. Primus in Occidente S. Benedictus regulam composuit adamussim servandam ab iis, qui in Cassinensi, cui

ipse præerat, cœnobio consistebant, paulatim ad alia cœnobio post Cassinense fundata, traductam. His institutis vixerunt Monachi usque ad sæculum S. Benedicti Regulæ adherentes. Quum verò sæculo undecimo prodierint diversi Monachorum Ordines, quorum alii solitariam vitam procul ab urbibus agere pergerent, alii ad Clericorum adiutorium & monasticam & ecclesiasticam vitam degentes in urbibus aut pagis junxerint, variæque Regulæ editæ pro arbitrio Fundatorum fuerint, quorum aliqua probari nullo modo potuerunt, propterea quod sub prætextu religiosæ vitæ schismata & hæreses in Ecclesiam emergerent, quales illæ fuerunt, quas Fratres ediderant dicti *Pauperes de Lugduno* tanquam hæretici damnati à Lucio III. in cap. 9. de hæreticis, salubriter cavendum fuit in Concilio Lateranensi, sub Innocentio III. celebrato, ut nulla amplius nova Religio institueretur, nisi cujus Regula auctoritate Sedis Apostolicæ probaretur, cap. ult. de relig. domib., quod & confirmavit Concilium Lugdunense sub Gregorio X. in cap. unico eod. tit. in 6., & Bonifacius VIII. in cap. un. de voto in 6. Itaque in hac re & Abbates, & Religionum Fundatores omni carent potestate, & Episcopis universis dempta facultas novas Regulas adprobandi, quidquid olim vigeret, argumento can. 1. junctis Romanorum Correctorum notis caus. 10. quæst. 1., hac facultate uni Sedi Apostolicæ reservata; quod tamen locum non habet in Regulis ante Innocentium III. constitutis, quod tamen necdum hæc reservatio prodidisset, uti notat Gregorius X. in dicto cap. un. de relig. domib. in 6., dummodò talis Religio fuerit, cujus damnatæ institutiones non deprehendantur, dicto cap. 9. de hæreticis.

Quoties de Monasteriis erigendis agatur, & de Monachis in erecta Monasteria inducendis, certissimum est, id fieri neutiquam posse, nisi Diœcesanorum consensus accedat, sive veterem disci-

plinam respiciamus in Concilio Chalcedonensi constitutam, can. 10. caus. 18. quæst. 2. sive recentem in Tridentino Concilio confirmatam, sess. 25. cap. 3. in fine de Regular. Sed præterea ubi receptæ sunt constitutiones Bonifacii VIII. in cap. un. §. *confirmatos* de religio. domib., & cap. unico de excess. Prælat. in 6., item recentiores Constitutiones, *Quoniam institutum* Clementis VIII., *Cum aliis* Gregorii XV., *Romanus Pontifex* Urbani VIII., ab Innocentio X. confirmatæ in ejus Bulla 27., obtinet, ut præterea Apostolicæ Sedis consensus interveniat, item ut Parochi, Clerus, ac populus minimè contradicant; imò etiam consentiant Regulares alii jam in certam urbem, vel oppidum recepti, pro qualitate eorum, qui admitti postulant; nimirum si isti verè mendicantes sint, & quoties admittantur, jam erectis Monasteriis ingerere detrimentum quodpiam possint, argumento canonis 44. caus. 16. quæst. 1. Præ cæteris autem requiritur beneplacitum Principis, quod jam constitutum fuisse puto in Concilio Chalcedonensi in canone 1. ex illis tribus, qui subjecti sunt actioni 6. ibi. *Quoniam verò quidam sub prætextu solitaria vita & Ecclesias, & communes perturbant causas, placuit, nullum quidem edificare Monasterium præter voluntatem Domini possessionis.* Quod verò dictum est de necessitate consensus Apostolicæ Sedis, etiam ubi ea disciplina recepta est, minimè locum habet, quoties non propriè Monasterium erigatur, sed tantum hospitium quoddam erigendum ad commodum Regularium iter habentium, quemadmodum testatur Benedictus XIV. in lib. 9. de Synodo diocæsana cap. 1. in fine.

In bona Monasteriorum olim ab Episcopis eadem ferè exercebatur potestas, qualis in bona Ecclesiarum beneficiariis clericis concessa: Nimirum Abbatibus, aliisque Monasteriorum officialibus, seu curatoribus administratio competebat, ita tamen ut Diocæsani Antistes, & rationes petere ab illis posset, eaque de cau-

sa Monasteria, ac Monachos visitare, & procuraciones, quartamque oblationum Monasteriis factarum juxta morem in unaquaque diocesi receptum exigere, can. 12. caus. 16. quæst. 1., can. 15. 16. 17. 19. 28. 29. caus. 18. quæst. 2., cap. 16. & 17. de offic. jud. ordin. Hodie verò ad excludendos ab his juribus Ordinarios recentes tetendisse noscuntur exemptiones, quibus factum est, ut Episcopi abstinere debeant à quacumque petenda à Monachis administrationis ratione, & à memoratis juribus seu visitationis, seu procuracionis, seu quartæ oblationum. Nihil adjicio de facultate alienandi bona Monasteriorum; licet enim olim justa postulante causa Monasteriis Præfecti ad alienationem devenire possent, obtenta ab Episcopo, qui de eadem causa cognovisset, facultate, tamen postquam obtinuit, ut bona Ecclesiarum non aliter alienari à quoquam possent, quam interveniente Apostolicæ Sedis auctoritate, eodem jure censeri debuerunt bona Monasteriorum, extravag. unic. de rebus Eccles. non alien. int. comm., cujus interpretationem tradam in tractatione de beneficiis ecclesiasticis. In Concilio Tridentino cautum Episcoporum gratia fuit in cap. 16. sess. 25. de Regular., ut novitii nec ullam renunciationem bonorum facerent, nec ullam obligationem inirent etiam jurejurando firmandam, etiam in piis causis conferendam, sine licentia Episcopi, vel ejus Vicarii, secus autem irrita esse, & prorsus inanis; quod decretum tamen minimè obtinet, aut in quibuscumque ultimæ voluntatis dispositionibus, quæ professione demùm secuta vires obtineant, justa Novellam 5. cap. 5., aut in renunciationibus inter vivos conditionalibus, seu sub conditione futuræ professionis ante ingressum in monasteria factis. Non dubito autem, quin per hoc decretum derogatum sit capitulo 4. de Regularibus in 6., in quo per susceptionem monastici habitus eum, qui beneficium ecclesiasticum possidebat, beneficio ipso jure cedissee desiniebatur.

Præ-

Præterea postquam Monachi in bonis Monasteriorum privilegiarias exemptiones obtinuerunt, cavendum fuit, ut quandoquæ à Sede Apostolica constituerentur jurium monasticorum Conservatores, de quibus mentio fit in cap. 1. & 15. de offic. jud. deleg. in 6., & in Concilio Tridentino sess. 7. de Reform. cap. 14. Isti sanè ex dicto cap. 15. eligi non possunt à Monachis, nisi Episcopi, qui olim jure ordinario munus illud gerebant, cap. 7. de statu Monach. vel Episcoporum Superiores, vel Abbates, vel dignitates in Cathedralibus, aut Collegiatis Ecclesiis obtinentes: neque ii possunt illorum Conservatores esse, quos vicissim iidem Conservatores suos elegissent, vel quorum aliàs sunt jurisdictioni subjecti. Conservatorum potestas in eo sita est, ut valeant Monachos, à quibus ad Conservatoris gerendum officium electi sunt, à manifestis injuriis Apostolica auctoritate tueri, ita ut non prius Conservator jurisdictionem explicare valeat, quam de illata in Monasteria, vel Monachos manifesta injuria constet; non autem valeant causas discutere, quæ judicialem postulant indagacionem; imò nec illa potestas ad aliam diocësim, aut civitatem, quam in qua sita Monasteria sunt, neque ad alias personas, quam eorum, quorum gratia designati sunt Conservatores, extenditur; nec regulariter Conservatores alteri vices suas delegare possunt, exceptis tantummodò citationibus & denunciationibus sententiarum. Nonnulla ad hanc rem statuit, & innovavit Gregorius XV. in sua constitutione, quæ incipit *Sanctissimus in Christo Pater*; decernens in posterum, neminem posse in Conservatorem à Regularibus eligi, nisi qui Judex Synodalis, aut in Provincialibus, aut in Diocæsani Conciliis fuerit designatus; item nomina Judicum Conservatorum à Regularibus electorum intra sex menses à die electionis computandos pænès acta curiæ Ordinariorum unà cum documento electionis referenda esse, ac recensenda, adeo ut hodie si in diocesi nulli sint for-

tè Judices Synodales constituti, Regulares eligendi quemquam facultate destituantur. Hinc hodie non amplius permittitur, Episcopos non diocæsanos, etiam si sint diocæsani majores, in Conservatores eligere, præsertim quòd Gregorius XV. in dicta constitutione adjecerit, Conservatorem electum non posse Conservatoris officio fungi, quam in ea diocesi, in qua fuerit deputatus. Nihil adjicio de monasteriis commendatis, de quibus concepta sunt Concilii Tridentini decreta in cap. 8. sess. 21. de Reform., & in cap. 20. sess. 25. de Regularibus; de istis enim alibi opportunè sermo instructur.

Cura Monachorum vitæ & morum, sive regularem disciplinam, sive universas rerum agendarum rationes spectaret, ad Monasteriorum quidem Præfectos olim maxima in parte pertinebat, ita tamen, ut Episcopus, in cujus diocesi siti Monachi essent, jurisdictionem exerceret eodem modo, quo in clericos diocæsanos, diviso quodammodò inter Præfectos Monasteriis, & Episcopos officio, quasi Præfectus Monasteriis paternam quandam sollicitudinem gereret veluti in familiam sub se constitutam, Episcopus veram jurisdictionem explicaret. At post inventas exemptiones, auctoritas ista Episcopalis propemodum interiisse visa est, certis negotiis Romano Antistiti reservatis, certis verò ad Monasteriorum Prælatos Regulares devolutis, donec recentioribus sæculis Episcopi iterum certam jurisdictionem in Monachos, & Regulares exercendam sumpserint, aut ex sanctionibus Concilii Tridentini, aut ex constitutionibus Pontificum Maximorum, qua in specie ut plurimum Episcopi vices Apostolicæ Sedis potius gerere, quam ordinariam explicare potestatem intelliguntur. Ita postulavit diocæseon utilitas, quam turbabant nimis provectæ ejus generis exemptiones: quamquam enim potuerint Apostolica privilegia exinere Monachorum Collegia, & Monachos ab Episcoporum jurisdictione, quod in ju-

re

re consistit; non potuerunt tamen fingi Monasteria esse extra diocesim, quod consistit in facto. Isthac iterum adtributa Episcoporum potestas ad summa tria capita redigitur. Primò enim efficere potest non tam singulares ipsas Monachorum personas, quam Monachorum in communi viventium Universitatem, seu Collegium: secundò singulares Monachorum personas, cum tantummodò extra claustra degentes Prælati jurisdictionem excitare possunt: tertio singulares Monachorum personas etiam cum intra claustra manent, & in Regularis Præpositi obsequio. Ad primum refertur, quod definitum est in Concilio Tridentino cap. 13. sess. 25. de Regular., ut possint Episcopi Monachos ad publicas processiones vocare, atque compellere, eodemque tempore controversias, quæ de præcedentia inter Monachorum ordines suboriantur, dirimere. Qua in re duæ exceptiones receptæ sunt, una ex æquitate, ex qua admittitur, Monachos extra urbes vel oppida ultra dimidium milliariis constitutos minimè compelli; altera ex constitutione Pii V. anni 1565. 17. Cal. Junii, quæ incipit *Etsi mendicantium*, juxta quam nonnulli Ordines singulari privilegio obtinuerunt, ut ad id compelli non possint. Quod verò ad processiones attinet à Regularibus faciendas, receptum est, ut eas facere nequeant per Parochiæ vicos, nisi de Episcoporum, vel Parochorum consensu, aut legitimo accedente privilegio, vel consuetudine vim privilegii obtinente, quamquam regulariter eas facere possint per claustra, si quæ sint, suarum Ecclesiarum; sin minus, circa muros earumdem. Itidem refertur, ut Episcopi cogere possint Monasteriorum Præfectos, ut curent in Monasteriis, in quibus commodè id fieri potest, Sacram Scripturam legi, juxta Concilii Tridentini decretum in sess. 5. de Ref. cap. 1. vers. *In Monasteriis*. Præterea, ut teneantur Regulares dies festos ab Episcopo indictos, argumento canonis 1. de consecr. dist. 3., & capituli 5. de fe-

riis, etiam in suis Monasteriis observare, dicto Concilio Tridentino sess. 25. de Regular. cap. 12. insuper, ut irrequisito Episcopo non plures campanas habeant ad populi convocationem, quam quæ statutis, aut moribus permittuntur, cap. 10. de privilegiis, juncta extravag. un. de officio Custodis inter communes, eademque, quas habent, in die Sabbati sancti pulsare nequeant ante signum à Matrice Ecclesia datum, juxta constitutionem 17. Leonis X., itidem ut irrequisito Episcopo Apostolicas indulgentias minimè possint promulgare, juxta decreta Concilii Tridentini in sess. 6. de Ref. cap. 3., & sess. 24. de Ref. cap. 11. Ad dicitur his, Universitates, seu Collegia Monachorum subijci Episcopis, in quorum diocesi Monasteria sunt, in iis, quæ sunt ordinis Episcopalis, nec singulari privilegio Regularibus Prælati competunt, qualis est petitio Chrismatis, consecratio Ecclesiarum, susceptio sacrorum ordinum, argumento canonis 18. caus. 18. quæst. 2. cap. 19. de præscription., cujus rei etiam argumento est, quod Episcopi ordinis potestatem explicare in Monasteriis, & Monasteriorum Ecclesiis possint petentibus Regularibus Prælati, quasi in loco suæ dioceseos id muneris obeant, argumento Clementinæ 2. de privileg. Denique, ut Monachi, qui instantibus Metropolitanis non curaverunt se in Congregationes redigere quolibet triennio convocandas, subjaceant omninò Episcoporum potestati, juxta caput 8. sess. 25. de Regular. in Tridentino Concilio, quemadmodum & subjaceant ex recentioribus Pontificum Maximorum Urbani VIII. & Innocentii X. constitutionibus, qui in Monasteriis non legitime erectis habitant, aut qui non in eo numero sunt, qui eisdem constitutionibus definitus est causa observantiæ regularis. Ad alterum caput, videlicet ad jurisdictionem Episcopi exercendam in singulares personas Monachorum extra claustra degentium, tria referuntur Concilii Tridentini decreta. Primum est in cap.

cap. 3. sess. 6. de Ref., ubi statutum est, ut Regulares extra monasterium degentes etiam sui ordinis privilegii prætextu tuti non censeantur, quominus, si deliquerint, ab Ordinario secundum Canonicas sanctiones visitari, puniri, & corrigi valeant; quod adeo verum est, ut locum habeat etiam in ea specie, qua justa de causa Monachus extra Monasterium obtentus à suo Superiore facultate degit; putat causa novi Monasterii erigendi, nisi jam in novum erectum Monasterium invecta observantia regularis fuerit, constitutusque Regularis Prælati, aut nisi agatur de Monacho degente in membro Monasterii utut separato à Monasterio; qualia sunt, aut rustica prædia (*Grangias* appellant), aut hospitia à Monasteriis pendencia; hoc enim in casu Regularis adhuc sub sui Superioris regimine constitutus esse videtur. Secundum extat in cap. 4. sess. 25. de Regular., ubi postquam cautum fuit, ut nemo ex Regularibus à suis conventibus recedat, nisi à Superioribus missus, aut vocatus fuerit, subijcitur, contra facientem ab Ordinario tanquam desertorem sui ordinis posse puniri; item eos, qui ad Universitates studiorum causa mittuntur, si in conventibus non habitent, jurisdictioni Ordinarii subjacere. Tertium extat in cap. 14. sess. 25. de Regularibus, ubi legimus, Regularem non subditum Episcopo, qui intra claustra Monasterii degit, sed extra ea ita notoriè deliquerit, ut populo scandalo sit, Episcopo instante à Præfato Regulari intra tempus ab Episcopo præfigendum severè puniri, ac de punitione Episcopum certiorum fieri oportere; sin minus, Prælatum Regularem non punientem officio à Superiore esse privandum, & Regularem delinquentem ab Episcopo posse puniri. Ad postremum caput, videlicet ad jurisdictionem ab Episcopo exercendam in singulares Monachorum personas in claustris degentium, plures sunt casus, quibus Monachorum exemptio locum non habet, & Ordinarii in eos explicant potes-

tatem. Hos casus ego ad duo summa capita exigo, quorum primum proficiscitur ex generali quadam ratione legibus confirmata, alterum ex singularibus facultatibus, quæ Ordinariis, sive Episcopis fuere concessæ. Rationem generalem à legibus confirmatam in primis dico, quoties Monachus in Monasterio degens Episcopalia sibi, vel Parochialia jura vindicet. Quid enim magis juri & rationi consentaneum videtur, quam injuriam in potestatem certam publicam illatam vindicare, inferentesque compescere? Si enim jure Romano quamquam non liceret Magistratibus in causa propria judicare, id tamen licebat, quoties ageretur de vindicando injuria in Magistratus ipsos illata; eadem ratione quamquam generaliter cautum sit, Episcopos non habere jurisdictionem in Monachos, in eo tamen casu jurisdictionem Episcopi explicabunt. Id confirmatum est in cap. 3. §. ult. in fine de privileg., ubi Episcopis facultas conceditur coercendi Regulares jura Episcopalia sibi usurpantes, & in element. 1. eod. tit., ubi Religiosi jura parochialia præter suorum privilegiorum formam sibi vindicantes nullo exemptionis privilegio suffragante denunciari ab Episcopo possunt, tamquam ii, qui in indictis eo canone censuras inciderunt. Secundò generalem rationem à legibus confirmatam dico, quoties Monachus in eo casu versatur, in quo Prælati Regularis nulla est jurisdicção, aliàs autem non agatur de re Pontifici Maximo reservata. Cum enim exemptio Regularium prodierit gratia Prælati Regularis, quid obest, quominus Episcopus, cum deest Prælati Regularis potestas, tum jurisdictionem exerceat? Huc pertinet, quod passim receptum est, juxta cap. 8. & 10. sess. 23. de Ref. in Concilio Tridentino, ordinationem clericalem Monachorum, & Regularium petendam esse ab Episcopo, in cujus diocesi situm est Monasterium, in quo Regularis, aut Monachus degit, si facultate ordinandi Prælati Regularis non polleat, aut si iste facultate polleat

minores ordines conferendi, petendam esse ab eodem Episcopo ordinationem Sacrorum. Et quamquam Pius V. Mendicantibus privilegium indulisset petendi ordines à quocumque Episcopo in sua Bulla 37., quæ incipit *Et si mendicantium ordo*, tamen Gregorius XIII. in sua Bulla 38., quæ incipit *In tanta rerum*, omnia redegit ad formam juris communis, & Tridentini. Quamobrem sub Clemente VIII. definitivè Congregatio Concilii Tridentini, licere Prælati Regularibus dimissorias litteras concedere Regularibus sibi subditis ordinandis, ad Episcopum tamen Ordinarium tantum, nisi Diocesanus absit, aut ordinationem non faciat, dummodò de industria Prælati Regularis id non distulerint in tempus absentiae, vel non habitæ ordinationis. Ad eandem regulam pertinet, quod tradi solet, in iis, quæ spectant externam Ecclesiæ politiam, seu fidelis populi Episcopis, Parochisve subiectis utilitatem & commodum, quæ in parte certa in eundem populum ecclesiastica potestas & jurisdictio versaretur, Monachos, & Regulares ea attingere non posse, nisi obtenta ab Episcopo facultate; similem enim potestatem à Prælati suis obtinere non possent. Sic Regulares quemquam nequeunt ex sæcularibus in Sacramento Pœnitentiæ absolvere, nisi ab Ordinario eam obtinuerint facultatem, Concilio Tridentino sess. 25. cap. 15. de Reform. Sic etiam nequeunt prædicare publicè Evangelium in Ecclesiis, quæ sui Ordinis non sunt, non petita primùm ab Episcopo facultate, imò neque in Ecclesiis suorum Ordinum non petita primùm ab Episcopo benedictione, Concilio Tridentino sess. 5. de Ref. cap. 2. vers. *Regulares verò*. Additum fuit in sess. 24. de Ref. cap. 4. vers. *Nullus autem*, neminem ex Regularibus etiam in Ecclesiis suorum Ordinum prædicare posse Episcopo contradicente. Præterea ad eam regulam pertinet, quod legimus in cap. 21. de sentent. excom. in 6. ubi conceditur Episcopo, ut quo casu absolvere posset à sententia excommunicationis sæculares cle-

ricum clericum suum percipientem, eodem possit absolvere Regularem, si clericum sæcularem percussisset; insuper quod dicitur in cap. 9. in fine de hæreticis, juncto cap. 11. vers. *denique* eod. tit. in 6., ubi facultas fit Episcopis, aut Inquisitoribus adversus hæreticos constitutis in causa hæreseos, etiam contra Monachos procedendi: atque idipsum voluit constitutione sua Gregorius XV. observandum in gravissimo crimine sollicitationis occasione Sacramenti Pœnitentiæ factæ; neque enim in his omnibus speciebus aliqua inest pœnès Prælatos Regulares in suos subditos jurisdictio. Quod attinet ad secundum caput, sive ad singulares facultates Ordinariis jure concessas, adferre possem in primis capitulum 1. de privilegiis in 6., ubi caverat Innocentius IV., ut quomodocumque exempti, sive ratione contractus, aut rei, de qua contra ipsos agitur, possent coram Ordinariis conveniri. Verùm licet hæc constitutio confirmata fuerit in Concilio Tridentino sess. 7. cap. 14. de Ref. generaliter respectu clericorum sæcularium; in Regularibus tamen declaratum est, eam locum non habere, nisi extra Monasterium degant. Ast nihilominus observant Pragmatici numero plures, Episcopos posse videlicet capituli 1. jurisdictioem suam in civilibus negotiis seu controversiis, quæ ex Monachorum contractibus, vel quasi contractibus orientur, explicare ex defectu, ut ajunt, justitiæ, scilicet quoties non facilè potest haberi recursus ad Apostolicam Sedem, aut ad designatos eorundem Regularium Superiores; propterea quod hæc & similes species videantur esse omninò extra mentem Patrum Tridentinorum in dicto cap. 14. Præterea ad idem secundum caput refertur Clementina unica de testamentis, ubi cautum est, Regulares utut exemptos ad executiones ultimarum voluntatum deputatos circa ipsum executionis officium (quod utique nonnisi petita, & obtenta à suo Superiore licentia suscipere nequeunt), rationem reddere locorum Ordinariis debere; imò &

& si dolum, fraudem, aut negligentiam admiserint, ab eisdem posse puniri. Denique ad idem caput refertur decretum Concilii Tridentini in cap. 19. sess. 25. de Regular., ex quo obtinet, ut si fortè quisquam ex Regularibus irritam esse alleget professionem suam, causas proponat coram Ordinario, unà & coram suo Superiore.

Dicendum adhuc superest vel de Oratoriis, vel de Ecclesiis publicis Monasteriorum, ad quas etiam populi conventus admittitur. Non amplius hoc in loco sermonem instituo de Ecclesiis Parochialibus Monasterio adnexis; de his enim jam superius actum est in cap. 3. De cæteris tantum loquor, quæ ad tria genera reduci possunt. Vel enim agitur de templis publicis, ad quæ fidelis populi conventus admittitur, vel de privatis Monasteriorum Cappellis, seu Oratoriis intra claustra constitutis, & tantum gratia Regularium erectis, vel denique de Cappellis, seu Oratoriis, quæ sitæ sunt in prædiis rusticis Monasteriorum, vulgo *Grangis*. In primis generaliter certum est, sine consensu Episcopi sæculares, ut ajunt, Ecclesias jam erectas Monachos, seu Monasteria acquirere non posse sive à clericis, sive à laicis, utut earundem Ecclesiarum Patronis, ne exinde fraus Episcopalis iuris fiat, can. 39. caus. 16. quæst. 7., cap. 5. 8. 11. 17. de jurepatron., cap. 3. princ. vers. *Ecclesias* de privilegiis, quamquam laicis Patronis liceat irrequisito Episcopo juspatronatus sibi competens in Monasteria transferre, dicto cap. 8. de jurepatron., cap. 1. eod. tit. in 6. Secundò deveniendo ad singula Ecclesiarum genera modò designata, certum olim erat ante inductas monasticas exemptiones, Ecclesias ipsas Monasteriorum in potestate Episcoporum constituisse, canon 10. caus. 16. quæst. 7. At post receptas Monasteriorum exemptiones, exemptæ quoque fuerunt Monasteriorum Ecclesiæ, etiam illæ, ad quas fidelis populi conventus admittitur, etiam si in iis clericales functiones à Monachis obean-

tur; ex quo sequitur, Episcopos non posse illas visitare, ne quod attinet quidem ad sacræ Eucharistiæ custodiam, aut loca excipiendis fidelium confessionibus apta, ac destinata. Tantum quædam Episcopis reservata sunt, præsertim post Concilium Tridentinum, in quo passim certus modus monasticis exemptionibus fuit impositus. Huc pertinet, quod Pragmatici tradunt, Regulares puniri arbitrio Episcoporum posse, quoties in eisdem Ecclesiis contra disciplinam ecclesiasticam in Sacramentorum collatione, vel confectione delinquant; item neminem ex Regularibus prædicare in iis Evangelium posse, nisi primùm benedictionem Episcopalem petierint nec posse publicè Eucharistiam populo adorandam exponere, nisi ex causa publica, eaque ab Episcopo adprobata; præterea neminem ex Regularibus posse fidelibus convenientibus sæcularibus Sacramentum Pœnitentiæ administrare, nisi ab Episcopo ad id adprobati fuerint, & administrandi facultatem acceperint; insuper non posse quemquam ab Episcopo excommunicatum, aut nominatim interdictum in Ecclesias suasmittere, aut defuncti excommunicati, vel interdicti cadaver sepultura donare, cap. 3. vers. *excommunicatos* de privileg., cap. 8. eodem tit. in 6., denique teneri Regulares in eisdem Ecclesiis ad observandos dies festos ab Episcopo præstitutos, atque ad morem gerendum locali interdicto ab Episcopo imposito, Concil. Trid. sess. 25. de Regular. cap. 12.; unde liquet, per Concilium Tridentinum derogatum fuisse veteribus privilegiis hac in re specialiter concessis gratia Regularium, cap. 22. ejusdem sessionis 25., neque aliàs suffragari posse Regularibus privilegia, nisi post Tridentinum Concilium obtenta fuerint, adjuncta derogatione Tridentinarum constitutionum. Tertio quod attinet ad privata Oratoria in claustris Monachorum constituta ad usum tantum Religiosorum, eorumve, qui in claustris sub obedientia degunt, ista duplicis generis sunt; vel enim sunt tantum loca reli-

giosa claustralium orationibus, & piis exercitationibus destinata, qualia hoc nomine apud veteres appellabantur, canon 6. & 7. dist. 42; hæc autem semper ad curam Prælatorum regularium pertinuerunt: nec major in illa ante inuertas exemptiones Episcopis tributa fuit potestas, quam in Monasteria ipsa traderetur. Ut enim ipsa dici non poterant loca sacra, neque auctoritate. Sacerdotali consecrabantur, ita nec singulari jure Episcopis suberant: tantum in silentio, & in oratione ibidem Monachi versabantur, Prælato monastico satagente, ne in alium usum eorundem institutio flecteretur. Vel sunt loca sacra, in quibus Eucharistia conficitur. Ista autem ante inuertas exemptiones ita Episcoporum jurisdictioni suberant, sicut ceteræ Ecclesiæ diocesanae, can. 10. caus. 16. q. 7., propterea quod & Episcopali auctoritate aut benedicerentur, aut consecrarentur. Ast hodie post receptas exemptiones, sicuti cura animarum eorum, qui in claustris degunt, Prælati regularibus generaliter inest; etiam ratione habitæ sacri ministerii in ea parte, quæ Episcopali ordini non reservatur, ita & Ecclesiolæ, seu Cappellæ ad spirituales, & sacros Regularium usus destinatae pœnitentibus exemptæ censentur; dummodo Regulares semper caveant, ne quoquo modo forma quadam publici conventus in eisdem Cappellis constituatur; cujus rei argumento est, quod ad indicendum ad Cappellas illas conventum nullam possint campanam adponere, cap. 10. de privilegiis. Quartò quod attinet ad Cappellas, seu Oratoria sita in prædiis rusticis Monachorum, sive Grangiis, distinguenda sunt duo genera locorum, sive Grangiarum; distinguenda etiam tempora, quibus vix in hac parte constitutiones, & placita prodierunt. Olim Grangiæ propriè appellabantur prædia rustica Monasteriorum à Monasteriis separata cum ædificiis, in quibus unus, alterve Monachus, quasi bonorum curator, aut perpetuò, aut certis temporibus moraretur, vel ad quæ oblectationis

causa identidem quidam ex Monachis convenirent. Ista sanè Grangiæ si nullas haberent sacras Ecclesiolas vel publicas, vel privatas, sed tantum privata Oratoria, id est diversoria quadam orationi, ac silentio destinata, post inuertas monasticas exemptiones non subijciebantur jurisdictioni Episcoporum; ex quo enim concessa fuit Monasteriis, & Monachis exemptio, exempta quoque à potestate Episcopi fuerunt bona Monasteriorum, & Monachorum. Sed quoties in illis essent constitutæ Ecclesiolæ sive publicæ sive privatæ, quoad istas jurisdictioni Episcopali suberant; neque enim exemptis Ecclesiis Monasteriis seu publicis seu privatis, eo ipso censebantur exemptæ Ecclesiæ Grangiarum, cap. ult. de censibus, cap. 17. de privilegiis, cap. 4. de verb. signif. in 6. Recentioribus sæculis Monachi, & Regulares plurimi curaverunt, ut harum quoque Cappellarum exemptionem singulari privilegio à Sede Apostolica impetrarent, qua impetrata alii plures eodem se jure gaudere consueverunt, ex eo quod generaliter impetraverunt, ut sibi communia fierent privilegia eorum, qui uberioribus privilegiis distinguerentur. Sed de privilegiis istis actum esse videtur post decretum Tridentinum de observandis in celebratione Missæ sess. 22., ubi statutum est, ne Episcopi permittant privatis in domibus, atque omninò extra Ecclesiam, & ad divinum tantum cultum dedicata Oratoria ab eisdem Episcopis designanda, & visitanda, sanctum Sacrificium à sæcularibus, aut Regularibus quibuscumque peragi. Post Concilium Tridentinum nonnulli Religiosorum Ordines similia privilegia iterum obtinuerunt vel specialiter, vel generaliter, minorum impetrantes omnia privilegia certo Ordini etiam post Tridentinum Concilium concessa, quasi & sibi communia. Quamobrem hodie regula recepta est, non aliter Ecclesiolas in Grangiis illis erigi sola Prælatorum Regularium auctoritate posse, & erectas abs jurisdictione Ordinarii exemptas esse, quam si vel de sin-

gulari, vel de generali, & quidem altero post Tridentinum Concilium obtento privilegio constet. Hinc si quisquam Regularis Ordo post Tridentinum Concilium obtinuerit, ut suis Prælati liceat eas Ecclesiolas erigere, & habere à Diocesani jurisdictione exemptas; alter autem Ordo ante Concilium Tridentinum obtinisset, ut sibi essent communia illius Ordinis privilegia, hæc privilegiorum communio alteri Ordini non sufficeret, ut hodie posset Ecclesiolas erigere, exemptasve habere. Altera est Grangiarum minus propria species à temporibus potissimum Urbani VIII. institutarum. Cum enim tunc temporis, seu anno 1625. die 21. Junii in Romana Congregatione Interpretum Concilii Tridentini statutum fuisset, ut Monasteria, in quibus duodecim Religiosi viri ali minimè possent, subderentur Episcoporum jurisdictioni, plura Monasteriola eum Monachorum numerum non habentia Grangiarum nomine donari cœperunt, in quibus pauciores numero Monachi non tanquam in Monasteriis consistere viderentur, sed tanquam in quibusdam membris Monasterii majoris, à quo Monasteriola, sive Grangiæ penderent; quod Monachi plurimi curaverunt, ut laudatum decretum eluderent, & nihilominus in Monasteriis habitantes mutato Monasteriorum nomine Episcoporum jurisdictionem evaderent. In istis sanè Grangiis Monasteriorum adhuc formam habentibus Ecclesiolas Monachi auctoritate sua erigebant, aut erectas regebant, quousque Innocentius X. ea omnia Monasteriola suppressit. Porro anno 1652. Idibus Octobris prodiit Constitutio Innocentii, quæ incipit *Instauranda*, qua, suppressis ejusmodi Grangiis in Italia, Insulisque adjacentibus, cautum fuit, ut si iterum ejus generis Monasteriola erigerentur, ea quoad omnia Episcoporum jurisdictioni subjacerent. Plurimum, vehementerque turbavit Monachos Innocentiana Constitutio, qui biennio post, seu anno 1654. nullum

non lapidem moverunt, ut & illa Monasteriola adhuc subsisterent, & Episcoporum auctoritati minimè subessent. Aiebant aliqui, in iis quidem Monasteriis non consistere duodecim Monachos, id verò ex injuria temporum proficisci, quibus redditus Monasterii erant immixti, nec pares ad tot Monachos sustentandos, ceterum spem sibi maximam fore, ut brevi redditus auferentur, ad duodecim alendos sufficientes. Aiebant alii, se in eo Monasterio habitare, in quo temporibus Urbani VIII. duodecim Monachi vivebant, & in quo duodenarius numerus esse desiit non nisi post constitutionem Urbani, proinde se facile non contineri in constitutione Innocentii, utpotè quæ sequela erat constitutionis Urbani. His, similibusve de causis postulabant apud Innocentium, ne ea Monasteriola suppresserentur, & non suppressa adhuc exemptionibus suis potirentur. Annuit in parte Innocentius, in parte autem respuit Monachorum preces. Videlicet concessit, ut Monasteriola illa adhuc incolumia consistere, & in iis Monachi habitarent, dummodo in iis manerent sex saltem Religiosi provectæ ætatis, probataque vitæ, quorum quatuor saltem Sacerdotes essent; adjiciens tamen, ut ista Monasteriola minimè suppressa Episcopo tanquam Sedis Apostolicæ delegato subjicerentur, quo factum est, ut specie tenus Monasteria viderentur exempta ab Ordinarii jurisdictione, concessa Episcopis auctoritate delegata, ex qua integra manerent privilegia; reverà autem Monasteria subiecta essent Episcopis, qui jure delegato suscepto eandem potestatem explicabant, quam secluso privilegio jure ordinario explicavissent. Concludemus igitur, in istis hodie sine Ordinarii facultate tantum Sedis Apostolicæ delegati vel Ecclesiæ, vel altaria erigi minimè posse, nisi fortè Innocentianæ constitutioni singulari aliquorum monasteriorum gratia & privilegio derogatum deprehendatur.